

*fallit reddetque homini iuxta opera sua*¹. — Nec, ut plurimum, ut tribulationem aufugiat mutare locum Pastor autemet; loca, enim, mentem nec muniunt nec mutant, et ubique adversitates inveniuntur. *Confide, igitur, et mane in loco tuo*², et *quaecumque facere potes manus tua, instanter, operare*³. Secus te ibi defecisse ubi fortius erat standum, cum angustia spiritus, ingemiscas, nec ullam alibi invenes requiem. Sursum igitur, cor Pastor attollat; nam *accipient oleum post vinum vulnera eius*⁴. et si mirabiles sunt elationes maris, mirabilis in altis Dominus, qui procellas convertit in auram, et indignationem in gratiam; *in die malorum ne immemor sis bonorum*⁵. Animum, ergo, *tuum adversitas non deiciat sed accendat, audentiosem te in omnibus vigor sacerdotalis ostendat; nam vera documenta veritatis sunt promptiosem in duris et fortiosem se quemquam in contrariis exhibere*⁶. Secus, enim, dolore impatientiaque fractus, quae apostolatu in christifidelium regimine sunt fructus posthabebis, neque tolerantiae ac oblivionis, amoris ac beneficii, immo sanctae exultationis locus erit, in quibus omnibus patientiae perfectio continetur, qua *carmen in nocte*⁷ [idest laetitia in tribulatione] canere valebis. Quod et Servator Noster suadet: *Cum persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete et exultate*⁸; *pressuram habebitis, sed confidite ego vici mundum*⁹; et Paulus qui recolit: *Propter hoc placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in angustiis pro Christo*¹⁰. *Bonus Pontifex in tribulatione seminat quod in gaudiis metit; tribulatio pulsata nec frangit, impellit nec movet, quatit non deicit, ut de nostra infirmitate sentiamus quod quatimur, et divino amore esse quod stemus*¹¹. Pastor, igitur, quin pati fortia reformidet, aut pati, aut mori D. cum Theresia clamet, vel [perfectius] illud Magdalenae de Pazzis *non mori, sed pati* ingeminet. Hac ratione Viros Sanctos ipse imitabitur qui: *fortes facti sunt in bello, operati sunt iustitiam*¹², atque *vere patientes fuere, quia nec adversis territi sunt, nec a spei suae rectitudine curvati*¹³. Hoc eius sacerdotalis status requirit, hoc pastorale regimen postulat.

¹ Eccles. XI, 22.² Id., IX, 10.³ Prov. XXIV, 12.⁴ S. Bernard. loc. cit.⁵ Eccles. XI, 27.⁶ S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* Lib. VIII, Indict. I, Epist. 24, ad *Sabinianum*.⁷ Id. Ibid.⁸ Math. V, II.⁹ Ioan. XVI, 33.¹⁰ III Corinth. 12.¹¹ S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* Lib. XIII, Indict. 6., Epist. 21, ad *Narsetem*.¹² Hebr. XI, 34.¹³ S. Gregor. Magn., *Homiliar. in Evang.*

23. — De ratione servanda diversas erga personas, quae patientiae causa Pastori fiunt, nunc pauca. Igitur:

a) Erga Deum maxima utatur fiducia Pastor. Nam ut ab Ipso misericordiam impetret nil quam Illius sese conformare voluntati aptius haberi potest, qui quidquid iubet vel saltem permittit, nostrum in adiumentum permittit; Illi servire regnare est. Quare, iure meritoque, Iob illum et Pastori iterare decet: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*¹; atque David Regis precem: *Bonum mihi Domine quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas*². Ut, enim, *figulus mollem terram premens laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas...*, et *horum autem vasorum quis sit usus iudex est figulus*³, ita Divinae voluntati in omnibus se adeo [conformare Pastor debet ut gloriae Dei docile instrumentum Eius in manibus humiliter exstet. *Humilem Deus protegit et liberat, humilem diligit et consolatur; humili largitur gratiam magnam, et post suam depressionem levat ad gloriam*⁴. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*⁵, ac de rore coeli et de pinguedine terrae donis eum cumulabit.

b) Cum nobismet animi demissio quoque maxime necessaria est; nam vera patientia nisi per profundam humilitatem, ab homine nec acquiritur, nec tenetur; qui *infirmus et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum est*⁶, et cuius cogitationes timidae et incertae providentia sunt. At, e contrario, *saepe nimis subditorum mala ferre nolumus, omnes iam sanctos debere esse decernimus, dum esse nolumus quod ex proximis portemus*⁷. Praepositus, igitur, potiusquam tribulationem caeterorum tribuere culpis, sibi ipsi addiciat, et potiusquam alienas in personas ac defectus nimis fortiter ac perseveranter instet, se ipsum suaque opera interim discutiatur et rimet singula, severus sui censor, ulli nec minus quam sibi ignoscat. *Iustus prior est accusator sui*⁸ monet Sapiens. Oh! quoties huc illucve tribulationis causam quaerimus, quae intus a nobis ipsis repetere debemus! Unusquisque sibi onus est et passio, *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*⁹; *corpus, enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*¹⁰.

c) Erga maiores Praelatos, reverentia duce, sese gerat Pa-

¹ Iob. I, 20.² Psalm. CXVIII, 71.³ Sapient. XV, 7.⁴ De *Imital. Christi*, Lib. II, cap. 2.⁵ Eccli. XXXV, 21.⁶ Sapient. IV, 15.⁷ S. Gregorius Magnus, *Moral.* lib. XXII, cap. 20.⁸ Prov. XVIII, 17.⁹ Iacob. I, 14.¹⁰ Sap. IX.

stor, qua mediante, exarmaverit Potentis iram, Scriptura dicente: *Patientia lenietur Princeps*¹. Antequam appellatione contra eos utatur, suam potius obedientiam ipsis ostendat; mirum, enim, est quantum inter Pastores discordiae, dioecesi universae, christi-fidelibus noceant, ac ad refrigerandam charitatem, ad regimen ipsum funditus convellendum valeant! Pastor itaque qui sese laesum putat, maiorem ipsius Praepositum verbis ac, si opus est, brevi scripto [prudenter ac proficue] edoceat, neque antequam omnes alias frustra pertentaverit vias, superioris ordinis Praelato contra primum appellet, eoque minus extra dioecesim [foro ecclesiastico] confugiat. Primum, enim, fere contumaciae, alterum vero contumaciae ac scandalo audit. Ecclesiasticorum, enimvero, contentiones quae dioecesis septa quoquomodo transiliunt, quum quae abdenda potius sunt, nimis multis [sed haud omnibus prudentibus] divulgent, caritatem ac dioecesis regimen ipsum funditus confodiant, haud in eius adiumento profecto cedunt. Omnia igitur [quantum fieri potest] inter dioecesis septa amice componenda sunt; quae si ab eis transcenderint, mirum in modum [cum dispendio, sed saepe nullo adiumento] augescunt ac multiplicantur. — Pastor, insuper, D. Sapientiae illa: *noli resistere contra faciem Potentis, nec coneris contra ictum fluvii*²; *multi colunt personam Potentis, et amici sunt dona tribuentis*³ meminerit. Et D. Ambrosius idem suadet, monendo: *Pronum est genus humanum favere honoratioribus, ne laesos sese putent, ne victi doleant*⁴, quod et a pervulgato effato confirmatur: *Perfringitur situla cum puteo certans*⁵. Intelligenti pauca!

d) Erga aequales nonnunquam silentio, alias vero operibus utendum est: sed, plerumque, invidios contra detractores, cum digna patientia usus fueris, tandem vinces. Nam, *qui fodit foveam incidet in eam, et qui volvit lapidem revertetur ad eum*⁶; et *procul dubio convertetur dolor eius in caput eius, et in verticem ipsius iniquitas eius descendet*⁷. Attamen: *ne dicas: Reddam malum. Expecta Dominum et liberabit te*⁸.

e) Erga subditos, vero, caritate opus est, qua, patientissime, ad meliorem frugem deducuntur. Attamen *interdum vocandi sunt et ipsi, tranquille admonendi eisque satisfieri modis omnibus proderit, scientes quid de eis Veritas dicit: Ne forte scandalizemus eos*⁹. Quantum, enim,

¹ Prov. XXV, 15.

² Sapient. IV, 32.

³ Prov. XVIII, 17.

⁴ De Officiis Ministrorum. Lib. II, cap. 24.

⁵ In Proverbiis.

⁶ Prov. XXVI, 26.

⁷ S. Bernard., Epist. 328.

⁸ Prov. XX, 32.

⁹ S. Gregor. Magn. Epistolar. Lib. XI, Indict. III, Epist. II, Ad Palladium.

humilis haec ac paterna industria ad detractores emendandos ac detractiones pellendas, interdum, iuvat, haud facile dixeris. Semper vero cum eis actio benevola atque paterna sit, omnisque ultionis, odii contentionisque species absit semper. Animarum cura vere crucis via est, qua, saepe nimis, magisque ab externis, a confratribus subditisque ad Calvariam pervenitur, ubi, interdum, quosdam [obsequium se praestare Deo putantes] spongiam aceto plenam Pastori labiis exhibent.

f) Erga externos, demum, humaniter semper, sed non nimis amice agendum, neque nimium credendum inimicis qui forte in gratiam redierint, nam *cum inimico, nemo in gratia tuto redit*¹; semel, enim, fractam amicitiam, perraro restitui omnes scimus. Attamen si ab externis tribulationes insurgant facilius defensio ac minus periculum est: si a domesticis difficilius propugnatio, magis periculi est: nam in illis aperto fere bello, in his ex insidiis impetitur. At externum fere praecaveri malum potest, domesticum antevertere difficillimum, omnino vero utroque carere non huius saeculi est. Quidquid sit, ut in domesticis discordiis clementia potissimum, in externis, e contra, fortitudine utendum est.

24. — Conclusionis instar D. Theresiae monumenta continuo Pastor prae oculis habeat: *Nihil te perturbet, nihil te perterreat, omnia transeunt, Deus solus manet; patientia omnia obtinet, habenti Deum nihil deest, Deus solus sufficit*². *Doctrina viri per patientiam noscitur*³ monet Sapiens, qui et recolat: *quem diligit Dominus corripiet, qui dabit capiti tuo augmenta gratiarum et corona inclyta proteget te*⁴. *Induite, ergo, vos dilecti patientia*⁵, per quam *curretis ad propositum certamen*⁶, et quo adeo *possidebitis animas vestras*⁷, ut cum Apostolo subditis ingeminare possitis: *Exemplum accipite fratres laboris et patientiae*⁸, quae *fructus Spiritus est*⁹, et *opus perfectum habet*¹⁰, et *coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum praemium*¹¹ adipiscitur.

¹ Seneca, De Amicitia, cap. 2.

² In Vita.

³ Prov. XIX, 11.

⁴ Ibid. IV, 9.

⁵ Ad Colossens., III, 12.

⁶ Ad Hebraeos, XII, 1.

⁷ Iacob. V, 10.

⁸ Ad Galatas V, 22.

⁹ Iacob. I, 4.

¹⁰ Sap. IV, 2.

¹¹ Hebr., X, 36.